



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 124. Franciscus Davidis coram Transylvaniæ Principe accusatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. antea in Transylvania ubiquistarum ca-
A. C. 1578. put esset, nunc illorum membrum, fa-
 ctus ex genuino Trinitario sese Pauli
 Samosatani Discipulum professus est,
 ac Christum Dominum nequidem tan-
 quam hominem eximium præ ceteris ho-
 minibus ob suas prærogativas superio-
 rem, ac singulari veneratione dignum
 agnovit, sed duntaxat hominem ceteris
 omnino similem, ac nullo alio cultu,
 quam reliquis omnibus hominibus de-
 bito, & communi venerandum pro-
 pugnavit, ubi non defuere sacrilegæ
 hujus opinionis Sectatores, ac Ministri,
 qui eam palam profitebantur.

§. CXXIV.

*Franciscus Davidis coram Transyl-
vanicæ Principe accusatus*

*Sandius
 Bibl. Anti-
 trinit. p. 56.
 Rossius de
 Atheisc.
 Evangelist.*

Verum adhuc plures alii adversus er-
 rores adeo horrendos insurgent,
 eorumque Auctorem e medio tollere
 decernebant, quamobrem Davididem
 coram Christophoro Battorio accusa-
 bant, quod in regno seditionem con-
 flare, novasque, atque impias in Ec-
 clesia doctrinas spargere moliretur: igitur
 perceptis accusationum articulis hic
 Princeps Davididem Decidavanæ archi-
 includi jussit, ubi infelix hic homo mœ-
 rore, ac reæ conscientiaë stimulis ex-
 cruciatus in phrænesin, & caninam
 rabiem

Sæcul. XVI.
A.C 1578.

rabiem incidit, omnique momento mil-
le, ac teterrima spectra, quæ ad ipsum
torquendum præsto essent, se conspi-
cere arbitratur: porro cum eum suo-
rum amicorum nonnulli hortarentur,
ut ad Christi Domini Mediatoris sui
auxilium confugeret, ipsiusque opem
apud Deum Patrem suum imploraret,
hic in furorem actus eisdem reposuit:
„nunquam invocabo hominem, cujus
„potestas adeo infirma est, ut sese ab
„hostium suorum manibus nec præser-
„vare, nec liberare potuerit: si enim hic
„invocandus esset, non minus etiam
„sancti forent implorandi, adeo, ut sic
„Papistarum sectam profiteri necesse
„esset.„ Demum inter horrendas e-
jusmodi blasphemias die decima quinta
Novembris anno sequenti millesimo
quingentesimo septuagesimo nono col-
labentibus ædificii muris oppressus sce-
leratam evomuit animam, similemque
vitæ finem ob summam suam superbiam,
blasphemias, ac frequentem sectæ va-
riationem omnino promeritus est; quippe
primo Lutheri, & Sacramentariorum,
dein Arii, & Tritheitarum hæresi, ac
demum Samosatænæ impietati nomen
dedit, quinimo ob nova sua, eaque im-
pia dogmata quodammodo Judaicam
superstitionem professus dici potest: tale
nihilominus monstrum Unitarii in Tran-

Sæcul. XVI

A.C. 1578.

sylvania, velut heroem inter suos celeberrimum deprædicant, ac Sociniani eundem tanquam egregium suæ sectæ Patronum habere glorientur.

§. CXXV.

Davididis interitus, ejusque opera.

Saud. l. c.

Spond. hoc

ann. n. 17.

Paleol. Con

fess. Jud.

Ecccl. Pol.

pag. 232.

Poffev. sect.

3. cap. 7.

Scriptis Davidis quædam opuscula, atque inter alia præcipue hæc erant. I. Epistola ad Poloniæ Ecclesias circa quæstionem de millenario Christi regno in terris: data erat hæc epistola Albæ Julix Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo: nondum tamen typis excusa prodiit. II. Tractatus de Dualitate in tria capita divisus, cui adjungitur quædam dissertatio, qua ostenditur, quod unus, solusque Deus Israel, Christi Pater, nullusque alius sit invocandus: porro in hoc opusculo, quindecim theses continentur, quæ in Torrensi Synodo fuerant propositæ. III. Alius tractatus unacum adnotationibus in quasdam Blandrati assertiones. IV. Tres Theses, quibus triginta alias Blandratus opposuisse dicitur. V. Libellum etiam edidit, in quo triginta illas Blandrati propositiones impugnat, asseritque, quod Christus Dominus nunc Deus appellari nequeat, ac proin, cum Deus non sit, etiam non invocari valeat; præterea affirmat, quod Lutherus, & Calvi-